

049

047

053

043

058

038

098

148

548

Ende

Anfang

38

Sunt enim Mamaluci civitatis et gentis illius rectores, ut patebit, et eorum clamores et minas omnes pavent, nec percussi, trusi, laesi, tacti audent repereutere aut reclamare nec murmurare, imo nec torvum vultum ostendere. Cum ergo sic cum populi injuria via daretur et populus notaret, quod propter nostrum transitum illum sustinuit insultum, currebant post nos multi, in-clamantes, irridentes, linguas in nos protendentes, et pulverem spargentes, quia non sunt ibi lapides; aliqui trahebant nos cum vestibus, aliqui caudas asinorum apprehendebant, et circulariter currentes crebrius evertebant bestiam cum sessore, nec curavimus injurias non laesivas, sed cum aliquis peregrinus laedebatur per-cussionibus, aut de bestia trahebatur, alii socii clamabant ad praecedentes Mamalucos, qui conversi laedentes fugabant. Penetra-vimus ergo populum ibi et in locis aliis cum labore et periculo,

In processu venerunt nobis obviam duo Sarraceni, viri maturi, procedentes in asinis per multitudinem, et videbantur esse hono-rabiles personae. Contra hos duos insurrexerunt duo Mamaluci ductores nostri eosque fustibus exciderunt et dejecerunt de asinis in terram, et longis clamoribus simul litigaverunt accurrente multo populo, de quo nos mirabamur, quia mysterium (**88 a**) facti ignoravimus primo. Illa autem fuit causa, propter quam illi duo detrusi fuerunt de asinis, quia legem curiae Soldani transgressi fuerant: statutum enim est, quod quando Sarracenus habet obvium curiale Mamalucum equestrem, quod ipse Sarracenus, si in asino aut equo sedet, extrahat pedes de strepis et dimittat dependere; si hoc facit, bonum; si non, de asino incunctanter dejicitur. Nec possunt bene equitare Sarraceni in strepis, quia continue transeunt Mamaluci, et quia illi strepati incedebant, fuerunt vexati. Si autem penitus alieni homines sedentes in asinis habent Mamalucos obvios, non sufficit, ut pedes a strepis solvant, sed oportet, quod totaliter de asinis descendant et stent, quousque transierint; si non fecerint, graviter molestabuntur. Sarraceni non curiales possunt in bestiis transire soli ubi placet, sine tamen usu streparum, sed Christiani et Judaei, ubicunque reperti fuerint in civitate in equis, asinis aut camelis, dejiciuntur, nisi habeant de curia Soldani ductores comites, et tunc in equis possunt incedere, et in strepis se sus-tentare; quilibet tamen potest ibi libere pedes ambulare, eujus-cumque conditionis homo fuerit, sed grave et periculosum est ibi

